





18  
C. D. G. 21. m. m.

DE  
**OBLIGATIONE  
SVB INFAMIA**

Bey Schelmschelten/

in Incluta Academia Jenensi

Eiusdem

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

**JOANNE GVILIELMO,**

DVCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVÆ ATQUE  
MONTIVM, ETC. ETC.

P R A E S I D E

**PETRO MÜLLERO, JCTo,**

Consiliario Saxonicº, Pandect. Prof. Curiæ Pro-  
vincialis, Scabinat. & Facultatis Jurid.

Assessore,

In Auditorio JCTorum

d. Julii 1689.

disputabit

**JOHANN. HENRICVS HORN/**  
Molaviæ-Osterlandus.

---

J E N Æ,  
Typis PAULI EHRICII. 1705.



**SOCIATIONIS  
AVANTIA**

**CONFIRMATIONIS**

**MAGNITUDINE**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**

**EXALTIATIONIS**



IN NOMINE SS. ET INDIVIDVÆ TRINITATIS  
DISPVTATIONIS DE OBLIGATIONE  
SVB INFAMIA  
*PRODROMVS.*

**B**onam famam & illæsam virtutis estimationem magno in pretio tam divinô quam humano jure haberri, extra omnem dubitationis aleam positum est. Præterquam enim quod instar libertatis *I. manumissiones 4. ff. de J. & J. I. libertas 4. in pr. ff. de Stat. Homin.* bona fama à natura nobis indita & cognata sit, dum bonitas vitæ ex naturæ jure nascitur, accedunt etiam sacrarum literarum encomia. Sic *Ecclesiast. 41. commendatur cura boni nominis & 1. ad Corinth. 9. vers. 15.* vitæ humanæ bona fama æquiparatur. Nec desunt variarum gentium circa famam religiones, quæ eandem Deabus annumerabant, conf. *Wesenbec. ad ff. de Probation. n. 4.* quin imò *LL. Romanæ* variis privilegiis & favoribus famam bonam condecorarunt. Quorum verò favorum cùm innumerus sit numerus, ita quidem, ut nec charta nec

A 2 tem-

tempus omnes enarraturo sufficiat, satius erit, si ex illis potissima afferantur. Et autem per quam notum, quod ob metuendum famæ detrimentum actio de dolo malo nec contra parentes, nec patronos, nec in dignitate constitutos ab inferoribus intentari queat. Magnif. Dn. Struv. Ex. 8. tb. 39. Sicuti ex eadem hâc causâ iisdem personis in l. *jusjurandum* 34. §. qui *jusjurandum* 4. ff. *de iure jur.* juramentum calumniæ non remittitur, i.e. non refertur. Idem etiam cautum est respectu matrimoni, ut turpis & famosa actio adversus uxorem denegetur, pro furti actione rerum amotarum judicio, pro actione de dolo, in factum actione succedente l. nam in honorem 2. ff. *de action. rer amot. l. divortii* 2. C. eod. tit. In debitis quoque fama attenditur. Si enim quis ex pluribus causis debitor existat, pecuniamque solvat, non expressâ causâ, in quam solverit, intelligitur exsolvisse, quod ex causa famosa v.g. injuriarum, mandati &c. debebat l. si quid 7. in pr. ff. *de solution.* Nec viventium solum, sed & morientium fama magni aestimatur, adeo quidem, ut hinc inde fartam atque tectam leges esse velint, vid. l. apud Celsum 4. §. *adversus 16. ff. de dol. mal. & met. except. l. injuria* 1. §. & si forte 4. ff. *de injur.* add. §. l. *Infl.* qui & ex quib. caus. manum. non poss. Et in genere quilibet præsumi-

sumitur bonus, donec contrarium probetur *arg. I.*  
*meritò si. pr. ff. profocio.* Ut proinde fama semper  
 sancta habenda & inter praestantiora referenda sit.  
 Operae igitur pretium erit paulo altius dispicere,  
 an & quoque bonum tam maximum sub obli-  
 gationem veniat, & quis hujus obligationis effe-  
 ctus, praeprimis, cum nihil frequentius hodienum  
 sit quam ut homines sibi invicem promittant sub  
 diminutione aut amissione famae. Quæ causa fuit,  
 quare animum inducerem rariorem quidem & præ  
 ingenioli mei viribus difficiliorem *de Obligatione*  
*sub infamia* commentationem per modum confli-  
 ctus disputatorii conscribere. Quod ut feliciter  
 fiat, ante omnia me converto ad Deum *Nov. 85.*  
*in pr.* eum precatus, velit opellæ meæ principium,  
 medium & finis adesse *Nov. 109. pr.* Cujus firmissi-  
 mo munitus præsidio & auxilio, me accingo ad

## PARTIS GENERALIS

### SECTIONEM I.

## DE IVRE HOMINIS IN FA- MAM, ET IN SPECIE DE RATIONIBVS HVIS IVRIS AFFIRMATIVIS.

(I.) *Autores utriusque sententie tam Negantium quam Affirmantium allegantur.* (II.) *Pro Affirmantibus jus homini in famam competere afferuntur Rationes I. II. & III.* Objicitur. Respondetur (III.) Ratio IV.

## §. I.

**N**te omnia autem quædam præmitenda de dominio hominis in famam, cùm ab eo tota reliqua tractatio dependeat. Negato enim dominio & jure in famam, negatur quoque jus sub amissione famæ se obligandi. Et è contrario positiò hoc jure, ponitur etiam ejusmodi obligatio. Nec defunt ab utrâque parte, sive negantem, sive agentem respxeris sententiam, acerumi defensores. Qui negativæ sententiae subscrubunt referuntur apud Covarruviam Tom. 2. variar. resolut. lib. 2. cap. 2. num. 8. & Vasquium Illusfr. Controvers. lib. 1. cap. n. n. 7. Sed antesignanus illorum videtur fuisse Cajetanus in Summa, verb. detractio & 2. 2. quest. 73. art. 2. quem etiam sequitur Marquardus Freherus de Existimatione lib. 2. cap. 8. Affirmantis verò sententiae partes amplectituri Covarruv. Vasqu. prelat. loc. Molina de J. & J. tom. 5. tractat. 4. disput. 2. Paulus Galleratus de renunciation. tom. 2. cent. 1. renunciation. 28. num. 3.

§. II. *Affirmantium argumenta sunt hæc,* (1) *quia homo famam & honorem sibi acquirit & auget instar aliarum rerum ac consequenter ut aliarum rerum, ita & famæ dominus existit.* Sicuti igitur opes & pecunia & alia bona exteriora in hominis sunt dispositione, ita & fama, modò non vergat in alterius detrimentum. Confer. Arisot. 4. Ethic. 3. (2) *Quia alias hoc absurdum & inconveniens sequeretur, quod nemo scelera sua detegere queat, cum ex hac confessione ansa præbeatur subsequenti infamia.* Quod tamen à nemine sine veri-

veritatis dispendio defendi potest. (3) Cujuscunque restitu-  
tio ab homine condonari potest, illud est in ipsius dominio.  
Sed famæ restitutionem homo condonare potest. E. etiam  
famæ ejusdem dominus erit. Minor facilè patet ex instan-  
tia, dum injuria illata remitti potest, imò quandoque re-  
missa præsumitur ex variis actibus, ceu patet ex Commen-  
tariis non solum Dd. moralium, sed & civilium. Sed obje-  
ctet quis: Mutilatio quoque membra & aliud damnum illa-  
tum remitti potest, nec tamen statim ab hac remissione ad  
dominium vita vel membra inferri potest. Ad quod respon-  
detur, quod inter remissionem mutilationis & remissionem  
restitutionis famæ plurimum interstит. Membri enim da-  
mnum si remittitur, hoc potius satisfactionem & pecunia-  
riam læsionis compensationem, quam ipsius membra in se  
spectati restitutionem concernit. Sin fama restituenda, non  
externa aliqua qualitas, sed ipsa fama redintegranda est.

§. III. Porrò & (4) si homo non esset famæ dominus,  
sequeretur, quod neque in ipsius potestate sit famæ detrahe-  
re. Sed falsum est posterius, E. & prius. Constat liquidem,  
quod is, qui falsum dixit testimonium teneatur post revoca-  
tionem ejusdem confiteri, se mentitum fuisse, nec v. g. de-  
positarius antea depositum inficiatus, postmodum verò con-  
fessus infamiae notam evitabit. Quamvis non negligenda  
sit distinctio Vasquii *dict. cap. II. n. 16.* inter existimationem  
nativam seu per virtutem propriam acquisitam, & inter exi-  
stimationem dativam, h. e. à superioribus concessam, cùm  
hæc facilè possit in alium transferri propter senium, morbum  
aut aliam inhabilitatem, illa verò non facilè sit migrabilis  
de subjecto in subjectum, possit tamen aliis modis tolli.

## SECTIO II.

## SECTIO II.

continet

## NEGATIVAM SENTENTIAM.

S V M M A R I A.

(I.) Negantium fundamentum I. II. III. IV. (II.) Respondetur ad Affirmantium argumenta I. & II. (III.) Respondetur ad III. (IV.) Fit transitus ad ipsam materiam.

§. I. Negantium fundamenta hoc tendunt, (1) Quodcumque in vita & membris juris est, illud etiam in fama obtinebit. Atqui vita & membrorum homo non est dominus. E. nec fama. Major propositio confirmatur per commune brocardicum: Fama & vita pari passu ambulant arg. I. iusta 9. pr. ff. de manumiss. vindict. I. isti quidem 8. §. quod si 2. ff. quod met. caus. Minor vero probatur ex I. liber homo 13. in pr. ff. ad L. Aquil. (2) Ecclesiast. 41. valde commendatur cura de bono nomine. Ut proinde fama non sit posthabenda. (3) In can. non sunt audiendi caus. n. qu. 3. vita nostra nobis, fama vero aliis necessaria dicitur. (4) Fama & honor est in honorante, non autem in suscipiente. Ut proinde nec diminutio ejus penes eum sit.

§. II. Verum enim vero his non obstantibus retinenda sunt, quae in precedente Sectione multorum calculo approbata sunt. Nec movet prima dubitandi ratio, cum vita & fama similia sint, non tamen eadem. Taceo enim, quod fama reparari possit, immo propriè ab alio & extrinsecus auferri nequeat citra justam causam. Sed vita semel amissa non ita restituitur. Deinde ceu patet ex ratione decidendi primâ, fama inter bona externa hominis refertur, de quibus ipsis disponere licet. Secus est de vita. Adde quod se ipsum occidens Rempublicam membro privet. Alterum vero dissentientium argumentum infirmâ laborat consequentia, quia non

non licet ita colligere: Homo sine justa & sotica causa famam suam postponere nequit, E. non est ejusdem dominus. Nam datur instantia. In l. inre 21. C. mandat, quilibet rerum suarum arbiter dicitur atque moderator & tamen hoc arbitrium & dominium vel potius ejus diminutio certis cancellis includitur, ceu patet ex tot. tit. Inst. quid. alien. lic. vel non. add. Vultej. ad pr. Inst. b. t. Sic etiam minor sine justa causa non potest manumittere servos per §. 5. Inst. qui & ex quib. caus. manum. non poss. l. justa causa g. l. si minor u. ff. de manum. vindict. Vnde tamen non sequitur: E. Minor non est dominus servorum. Sic porrò vix ac ne vix quidem concludit hæc consequentia: Pecunia sine justa causa profundi non debet. E. non est in dominiō hominis.

§. III. Tertium dubium non stringit thesin, nec observatur antea deductis in Sectione præcedente, quia ea omnia exaudienda sunt salvō jure tertii, & quatenus exinde alteri præjudicium non contrahitur. Deinde neglectus famæ propriæ consideratur saltim respectu sui ipsius, non verò alterius. Et licet concedi possit, quod eō casu, quando fama proximi ex nostrâ qendet fama, aut quando fama requiritur ad præstandum proximo officium, stricto jure debitum, sentendum sit cum allegato canone; attamen aliud dicendum erit, quando non ex officio, sed charitate proximo prodesse tenemur, quôd sensu thesis nostra exaudienda venit. Nec porrò obstat, quôd fama non sit in eo, in quem confertur honos, sed in honorante, cum probè distinguendum sit inter famam sive existimationem deferendam & delatam. Illa in arbitrio honorantis vel aestimantis collocatur, non verò hæc, quia acquisita est propriâ virtute, ob quam quis honoratur.

§. IV. Positô igitur, vel potius suppositô, quod homo sano sensu famæ suæ dominus sit, quod fama in ejus colloce-

tur potestate instar aliarum rerum, facile patet, quid sentiendum sit de illa alienatione sive deminutione famæ, quæ fit per obligationem sub amissione famæ. Quoniam autem non sufficit ad justitiam alicujus actus, si saltim una circumstantia rectè se habeat, paulò penitus considerandum est, an præter subjectivam causam alia quoque rectè se habeat. Quod melius fieri nequit, quām si omnes hujus obligationis causas pro ratione instituti percurramus. Quas ordine exhibebit subsequens.

## PARS SPECIALIS,

cujus

### SECTIO I.

exhibit

## DEFINITIONEM OBLIGATIONIS SVB INFAMIA NOMINALEM.

### SUMMARY.

(I.) *Vnde descendat vox obligationis.* (II.) *Obligatio accipitur propriè, & impropriè.* (III.) *Late vel strictè, & itidem vel generaliter vel ſpecialiter.* (IV.) *Vnde nomen Infamie.* Quid fama denotet. Quomodo à rumore differat. (V.) *Quot modis accipiatur Infamia.* (VI.) *Vnde germinicum: Schelum descendat.* (VII.) *Apud Latinos homines nauci variis insignuntur nominibus; modo famosi, modò nebulares vocantur.*

**S. I.** Cum Jctorum facile Principis Vlpiani testimonio de significatione ipsius tituli, priusquam ad verborum interpretationes deveniatur, sollicitos nos esse oporteat. L. è re eft i. ff. de. reb. credit. extra oleas non vagabimur.

(9)

si & præsentem rubricam sigillatim examinemus. Nam no-  
mina sunt signa rerum arg. §. siquidem 29. Instit. de Legat. &  
offendunt mentem dicentis l. Labes 7. §. Servius 2. ff. de su-  
pelleb. legat. l. non aliter 69. ff. de legat. 3. l. in conventionibus  
219. de V. S. Reinck. de Regim. Soc. & Eccles. l. l. cl. 1. c. 1. n. 1. &  
verba rebus, non res verbis deseruant, necesse est. Gail. l.  
obs. 150. num. 6. Est autem rubrica tripartita. Prima ejusdem  
pars est Obligatio. Cujus vocis natales merito Romanis tran-  
scribimus, & à verbō ligo derivamus, vid. Matth. Colerus ad  
pr. Instit. de Obligation. ita quidem, ut præpositio augmen-  
tativa O B vocis significatum augeat & valde firmiterque li-  
gare significet. Conf. Magnif. Dn. Praeses in Jurisprudentia E-  
lementari Disp. 35. th. 1. lit. B. Weseb. ad C. de O. & A. n. 5. &  
Meier in Col. Argent. eod. tit. tb. 2.

§. II. Et ne contra aequivocationis Syrtes impingatur, è re  
erit terminum obligationis ab iisdem liberare: Est enim hæc  
vox inter πονηρα referenda. Propriè & si ab ovo repetere  
velimus ὅμοιο obligare saltim pertinet ad res corporales. Vnde  
à chirurgo dicitur obligari vulnus, ad agricola arbor, à judi-  
cis ministro facinorosus. Quam in rem facti non solum lo-  
cus apud Curt. lib. 8. cap. 10. §. 28. sed etiam apud Venulej. in  
l. vinculorum 224. de V. S. Vid. Franzk. Dissert. de oblig. in  
gen. tb. 2. n. 2. Donell. lib. 12. commentar. Jur. Civil. cap. I.  
Impropriè vero & ex usu juris applicatur etiam per meta-  
phoram ad res incorporeas, quatenus sc. homines invicem  
nectuntur intellectualiter. Ita in L. negantes 9. C. de O. & A.  
liberatio contingere nequit, nisi soluta obligatione, & pasim  
nexus ex promissione descendens obligatio sive vinculum  
appellatur pr. Instit. de obligation. l. obligationum 3. pr. & §.  
non satis 1. ff. de O. & A. l. quicquid 99. pr. de V. O. l. Titia  
134. in fin. pr. ff. eod. tit. Quin imò hæc locutio metaphori-  
ca in ipso S. Codice reperitur. Et quidem Proverb. 6. obstrin-

xisti, dicitur, animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui.  
*Conf. Numer. 20. Magnif. Dn. Præf. c. l. lit. B. Colerus l. c. Hil-*  
*liger ad Donell. lib. 12. cap. 1. lit. D.* ubi etiam afferit Euripidis  
*testimonium, qui eadem acceptance usus est.*

§. III. Ita autem accepta obligatio vel *latè omnem ad-*  
*strictionem* sive ex jure in re, sive ad rem oriatur, denotat,  
*arg. §. 5. Inst. de exception. l. contrahitur 4 ff. de pignor. &*  
*hypothec. Conf. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 10. §. 1. n. 2. Goedd.*  
*ad l. 12. pr. de V.S. Frantz. Ex 12. qu. 1. num. 19. Conf. Vnge-*  
*pauer Ex. 10. qu. 1. vel strictè accipitur, (1) generaliter pro o-*  
*mni nexu, quo quis tenetur ad aliquid dandum vel facien-*  
*dum aut etiam patiendum juxta precepta iustitiae commuta-*  
*tivæ, ita quidem, ut Comprehendat non solum vinculum*  
*contractuum, sed etiam delictorum, cum fluat ex facto vel*  
*licito vel illicito. Locamer Diff. de caus. act. §. 83. Perez ad*  
*C. de O & A. n. 3. quatenus scil. ex facto illicito vel alter*  
*læditur, vel etiam delicta sunt prohibita, Colerus ad pr. Inst*  
*de Oblig. que ex del. nasc. p. m. 101. Vultej. ad pr. d. t. Giphian.*  
*Antinom. Jur. Civil. lib. 3. Diff. 24. tb. 6. (2) specialiter & se-*  
*cundum excellentiam pro nexus ex contractibus oriundo per*  
*pr. Inst. b. t. Sed penultima & ultima acceptio hujus lo-*  
*ci est.*

§. IV. Altera rubricæ pars sub voce *infamia* continetur,  
*quæ citra omne dubium originem trahit à præpositione in*  
*& nomine substantivo *fama*. Fama verò vel rūmorem h. e.*  
*populi & multitudinis sermonem per l. testimoni. §. ejusdem*  
*2. ff. de testib. significat, vel ad hominem & personam re-*  
*fertur. Priori respectu tamen differt à rumore in specie ita*  
*dicto. Rumor enim specialiter acceptus non gignit proba-*  
*tionem arg. c. 5. in fin. X. de eo, quæ cognov. consangu. uxor.*  
*Perez. ad C. de probat. & presump. num. 4. Fama autem*  
*aliis stipata adminiculis vim probandi habet arg. l. testimoni. 3.*  
*§ ejus.*

§. ejusdem 2. ff. de testib. cap. 27. X. eodem cap. 13. X. de proba-  
tion. Wesenb. ad ff. de probation. n. 4. Fama certum habet  
autorem, rumor incertum arg. c. 5. X. de eo, qui cogn. consan-  
gvin. ux. fama denique à majore parte viciniæ, rumor à mi-  
niore spargitur per d. c. 5. Meier Colleg. Argent. ad tit. ff. de  
probation. tb. 3. tb. 13. & 15. Posteriori respectu est existimatio  
hominis l. quid ergo 13. §. pœna gravior 7. ff. de bis, qui not. in-  
fam. & tunc iterum vel latè sumitur, ut sub se comprehendat  
bonam & malam famam Molina de J. & J. Tom. 4. Tract. 4.  
Dsp. 7. n. 2. vel strictè & pressius pro bonâ famâ, quæ juxta  
Callistrat. in l. cognitionum 5. §. existimatio 1. ff. de extraord.  
cognit. est dignitatis illæfæ status, legibus ac moribus com-  
probatus, vel est ea hominis qualitas, quâ in numero bo-  
norum civium censeri meretur, munerum & honorum ca-  
pax & ad actus civilis societatis gerendos idoneus reputa-  
tur, injuriâ & obrectatione indignus. l. ut tantum 14. §. de  
filio 1. ff. de serv. corrupt. Hillig. ad Donell. libr. 18. cap. 6.  
lit. F.

§. V. Ipsum verò infimæ vocabulum nunc laxius ac-  
cipitur pro juris & facti infamia, Calvin. Lexic. Jurid. hoc  
verbo, nunc strictius pro eâ maculâ, qua lex aliquem no-  
nat per l. Pratoris 1. ff. de bis, qui not. infam. l. fratres 27.  
C. de inoff. testam. Frequentior tamen in jure est prima si-  
gnificatio, in qua infamia variè describitur. Plerumque au-  
tem loco gen'ris vel immunitio vel diminutio vel privatio  
vel laetio existimationis ponit solet, Zoes. ad ff. de bis, qui  
not. inf. n. 1. Busius ad l. 1. ff. eod. tit. Verum quia distincta  
sunt ipsa privatio existimationis & inde orta qualitas, com-  
modius describitur per maculam ob turpe factum contra-  
stam Hahn. ad ff. d. t. n. 1. Marqu. Freher, de Existimat.  
lib. 3. c. 1. n. 2. & ult. Molina c. l. n. 4. Et ita in præsenti intel-  
ligenda est notio infamia.

§. VI. Germanicō idiomate hāc macula adfecti dicuntur **Schelmen**. Schelm autem ex multiplici repetitur origine. Cypraeus *Tractat. de Connubior. jur. cap. 13.* §. 79. n. 4. & ex eo Besoldus *Thesaur. Pract. verb.* Schelm deducunt à Teutonica voce **Schild** / qua scutum significat, ita ut **Schelman** idem sint ac **Schildmen** / seu, qui scutum defensuere secundum autoritatem Taciti *de morib. Germanor.* Olim enim scutum relinquere egregium erat facinus. Alii è contrario **Schelaien** dictos volunt quasi **Scholdmen oder gescholdene**, & pro illis habent, qui sibilo & exterminatione digni censendi sunt, **Leute mit denen niemand aus der Kanne trincken soll**. Quod indicant litera initiales, quæ cum sibilo & collisione dentium enuntiandæ sunt, ceu hoc iste eduxit Barschamp. *Radic Clavicular. cap. 31.* §. 3. Nec à ritate abludit sententia, quæ per mutationem literarum **Schelm** quasi **schlimm** dici confirmat.

§. VII. Apud Latinos hi homines nauci variis insigniuntur emblematisbus. Et quidem vulgariter & latius famosi appellantur *Vid. l. mulierem 13. ff. de Accusation. l. nam salutem 3. §. cognoscit l. ff. de Offic. Prefect. Vigil. ibi: tam que famosa persona sit. l. famosi 7. pr. ff. ad L. Jul. Majest. l. capitalium 28. §. famosos latrones 15. ff. de pan. c. 3. X. de consanguin. & affinitat. c. 15. X. de sentent. excommunicat. Gail. l. Obs. 64. n. 2. Franzk. ad ff. de his, qui not. inf. n. 2. Gothofred. ad ff. d. t. Freherus de Existimat. lib. 3. c. 3. n. 1. Alio nomine **nebulones** audiunt à nebulis ac tenebris, quibus gaudent & in volvuntur. Unde etiam Germanis dicuntur **Leute-Betrüger / die einen hinter das Licht führen**. Vid Tabor in Racem. Crim. pag. 42. & Barschamp. c. 1. qui putat hanc derivationem congruere cuna denominatione furti à furvo sive nigro, aut eo, quod noctu fit §. furtum 2. Inf. de Oblig. que ex delict. & in furtum. 1. pr. ff. de furt.*

SE-

(13)  
SECTIO II.  
de

## CAVSIS OBLIGATIONIS SVB INFAMIA INTERNIS.

### SUMMARIA.

(I.) Consideratur hac obligatio vel in se, vel relatè. Internas causas constituunt forma & materia. Externas efficiens & finis. Forma est vel generica vel specifica. Illa in vinculo juris consistit, hac prater necessitatem & jus requirit. Requirunt alii circumstantiam temporis. (II.) Materia subjectiva hoc loco absolvitur Creditore & Debitor. Qualis sit debitor. (III.) Dubitat, an quis comodo fieri possit debitor. Respondetur, quod possit. (IV.) Creditor hic non infert debitori injuriam. (V.) Objectum est commune cum reliquis obligationibus. (VI.) Respondetur ad l. 38. §. 5. de V. O.

§. I. Superata nunc æquivocatione & pensitatis generalioribus rectè fit progressus ad specialiora & sic ad ipsam obligationem, quæ fit sub infamia, quæ consideratur vel in se & absolute, vel relatè. In se spectata describitur. quod sit vinculum juris, quo necessitate fugienda existimationis maculae adstringimur ad aliquam rem solvendam aut factum præstandum. Es consideranda est in causis, tum internis, tum externis. Internas constituunt forma & materia, externas efficiens & finis. Quamvis antem infamia ipsa causam formalem non agnoscat, quia ipsa infamia est forma constituenta infamem. Quemadmodum igitur non datur materia materiæ, ita nec forma formæ & consequenter illa ipsa sit accidentalis quædam & moralis forma; attamen ipsa obligatio ad infamiam suam agnoscit formam. Per quam intel-

ligi-

ligitur essentialis, quæ iterum est vel genericia, vel specifica. Generica, & quæ cum aliis obligationum speciebus convenit, consistit in vinculo juris & necessitatis, arg. l. obligamur §2. §. lege 5. & §. necessitate 7. ff. de O. & A. Specifica praeter necessitatem & jus insuper requirit, ut fiat sub vinculo infamiae, h. e. ut quis se adstringat ad sustinendam infamiam, quando debitor ita alteri ad satisfaciendum se devincit, daß Er ein Schelm seyn wolte/ wenn Er nicht zurechter Zeit bezahlte/ vel bey Verlust seines ehrlichen Nahmens/ vel wenn Er nicht richtig wiederum bezahlen oder seinen Bürgern lösen und entheben würde/ daß Er ein Schelm und unredlicher verlogener Mann seyn wolle / vel simpliciter, bey Schelm-schelten. Wehner. verb. Behandlung Antonius Hering. de Fidejussorib. cap. 19. num. 140. Quandoque tamen etiam solet paulo restrictius & specialius haec obligatio fieri , v, g! Man soll mich nicht vor einen ehrlichen Mann/ Weib oder Jungfrau halten/ man soll mich nicht vor einen ehrlichen von Adel/ Doctor oder Bürger Meister halten/ &c. quos posteriores sub infama obligandi modos præ aliis hodiè frequentari attestatur Barischamp. Radic. Clausul. cap. 31. §. 1. n. 23. Addit præderea Gallerat. de Renunciation. tom. 2. cent. 1. Renunc. 28. num. 3. alius hujus obligationis essentialie requisitum, quod consistit in circumstantia temporis. Debet enim juxta ejus mentem consensus ex parte obligandi tempore contumelia & opprobrii intervenire, non vero ex intervallo sequi. Secutus est hac in re Colerum in process Executiv. P. I. cap. 8. n. 70. qui hanc obligationem ad amissim moderaminis inculpatæ turæ exigit, & sicut in hac requiritur, ut ultio fiat in continenti, ita & infamiam in continenti sequi debere statuit. Sed discedit D. Stryck. de Cautel. Contract. Sect. 2. cap. 6. §. 17. ex ea ratione, quod supposita validitate hujus pacti quoad momentum non

non competit debitori facultas poenitendi, cum ipsa passio  
jam facta sit necessitatis. Præterea etiam supra Parte Gene-  
rali Sect. 2. §. 2. ostensum fuit, quod vita & fama inter di-  
sparata referenda sint. Non tamen dubitandum est, quin  
etiam forma accidentalis omnium obligationum, quatenus  
vel purè, vel sub conditione, vel in diem, vel ex die &c.  
contrahi solent. Vid. Tabor in additam ad Meieri Colleg.  
Argent. tit. ff. de O. & A. tb. 10. Franzk. de Obligation. tb. 29.  
Obligationi sub infamia rectè applicetur, cum quod in ge-  
nere verum est, id in omni quoque specie procedat.

§. II. Materia est vel *subjectiva*, vel *objectiva*. *Subjectiva*  
materia ceu in omnibus obligationum specibus, ita & hoc  
loco absolvitur creditore & debitore. Omnis autem creditor  
& debitor instrutus esse debet potestate, sive liberâ rerum  
suarum administratione & voluntate seu libero consensu.  
Magnif. Dn. Struv. Syntagma Jur. Civil. Exert. 6. tb. 36. & 41.  
Hahn. ad ff. de pac. num. 5. Vnde facile colligitur, quid  
censendum de personis quibus consensus denegatus,  
quo pertinent pupillus, infans §. 10. Instit. de inutil. stipu-  
lat. furiosus, i. furiosi 40. de R. I. mente captus, §. 4. Instit. de  
Curator. it. extremè ebrius, arg. c. 14. X. de vit. & honestat.  
Cleric. Dn. Struv. c. l. tb. 37. Conf. Donell. lib. 12. Commentar  
cap. 22. & Meier Colleg. Argent. de O. & A. tb. 7. & 8. Nec  
difficile judicatu est, an personæ, quibus vel rerum suarum  
administratio interdicta, quales sunt prodigi, i. furiosi 40. de  
R. I. Zœl. ad ff. de pac. num. 11. vel. quæ potestati dominica  
aut patriæ subjecta sunt ad paciscendum sint habiles, Conf.  
Frantz. dict. dissert. de obligat. tb. 2. can. 2. Rennem. Jurispr.  
Memb. 3. Disp. 1. tb. 18. & 39. Carpzov. p. 2. c. 15. d. 1. seqq. qui o-  
mnes latè examinant, quò usq; hæ personæ vel naturaliter tan-  
tum vel civiliter obligentur, ad quos benevolum Lectorem  
remitto, heic sufficiat, quod omnes personæ, quæ in genere

C

vel

vel habiles vel inhabiles ad obligandam inveniuntur etiam obligationis sub infamia subjectum vel naturaliter vel civiter constituant. Vid. hāc de re late Dn. Præses c. l. tb. 7. per tot.

§. III. Magis ad rem pertinet præsentem inquirere in debitorem, sive illum, qui promittendo ad infamiam se obligavit, & creditorem, cui ita obligatur. Certum equidem est, quod infingenda infamia tanquam poena ab illo sit infligenda, cui jus infligendi poenas competit, & porro privatus nullam in alterius famam potestatem sibi vindicare posse arg.

L. Pratoris t. de bis, qui not. inf. l. palam 43. §. p.m. ff. de Rts. Nupt. vid. Donell. Commentar. lib. 18. cap. 6. Wilsenb. ad ff. P. i. Diff. II. tb. 14. Hering. de Fidejussor. cap. 19. n. 155. Wiesenb. ad ff. de bis, qui not. inf. n. 3. qui pro hāc sententia, & quod per privatam conventionem non possit fieri fama diminutio, alleg. l. non distinguamus 32. §. Julianus 6. de Recpt. qui arbiter. recpt. cum tamen aliud in eā disponatur teste Gothofred. ibid. lit. H. & Hahn. adff. n. 3. cod. rit. Hoc tamen non obstante ex suppositis supra in Part. General. propter dominium, quod homo in famam habet recte statuitur, quod sub infamia nostra quis se obligare alteri possit, executione Majestati vel verē, vel analogicē tali, relicta. Quin imo, etiamsi Jus aut Majestas cives infames non pronunciet, opinione tamen hominum & re ipsa propter turpe & in honestum factum infames fieri leguntur in l. honori 2. de obseqv. Parent. Et patron. prestand. aut quandoque levis nota macula aspergi. arg. l. fratres. 27. C. de inoff. testiam. propter turpe factum antegressum arg. l. ieius 22. ff. de bis, qui not. inf. Turpe autem factum esse promissis aut pactis non stare in tantum caret dubio, in quantum certum est illud turpe dici, quod juri naturali adversatur. Jam vero illud difficultat, pacta servanda esse & promissis standum, Ex quo deinde oritur desertio illorum, quibus fides cordi est, & sic a-

mis-

missionem famæ cahsatur, quæ ex parte sub infamia prominens in voluntaria & merè passiva est, quamvis ex parte conversantium aliquid positivi in se contineat.

S. IV. Creditorem quod attinet, illum quoque peccare autumat Colerus in Proc. Exec. P. I. c. 8. n. 75. quod judiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta sint ad arcendam vindictam privatorum & exinde descendenter publicæ tranquillitatis turbationem l. nullus 14. C. de Judais l. non est singulis 176. de R. I. nec non inferendam alteri injuriam can. non inferende caus. 22. qu. 1. Verum, non ipse creditor vindictam exercet privatam aut infamiam infert debitori, sed debitor ipse illam sibi contrahit ex non servata fide & neglectis promissis. Vid. infr. Se&t. 3. §. 2. Nec creditor injuriam infert, Sed debitore propria notatur culpa, cum volenti non fiat injuria. c. scienti de R. I. in 6. Hoc interim omnia caret dubio, quod nullum fundamentum ponendum sit in l. si quid 7. de solut. ubi ex famosa causa debitum exigi potest, cum ibi sermo sit de causa autoritate juris famosa, prout ostendunt exempla allata. Conf. D. Stryk. de Cautel. Contr. Se&t. 2. c. 6. §. 17. Quæ autem hæc tenus dicta sunt restringit Gallerat. l. c. num. 6. ad illum saltim casum, quando quis nomine propriò hoc pacto se obstringit, non verò pro alio, ad id scil. ut idem effectus subsequatur.

S. V. In causa objectiva nil peculiare occurrit, sed quæ in genere locum habent in omni obligationis specie, possunt etiam prædicari de obligatione sub infamia. Quemadmodum igitur res & facta obligationem constituunt l. obligatorium substantia 3. pr. ff. de O. & A. Donell. lib. 12. Commentar. cap. 20. omnes res in obligationem deducere debent esse in commercio §. 1. & 2. Instit. de R. D. l. inter stipulantem 38. §. Sacram 5. ff. de V. O. & in rerum natura minimum potentia arg. l. pactum 46. ff. de pact. facta vero propria §. 3.

*Inst. de inut. stipul.* nec impossibilia l. si stipulor. 35. pr. ff. de V. O. aut turpia seu illicita l. ex eo 4. C. de inut. stipulat. l. generaliter 26. ff. de V. O. Dn. Praes. cit. l. thes. 8. Meier. c. l. tb. 9. Frantz. c. Ltb. 3. Magnif. Dn. Struv. Ex. 6. tb. 43. seq. ad impossibilia enim nemo obligatur l. impossibilum 185. de R. J. l. si quis in gravi 3. in pr. §. 4. & 6. ff. de Scto Silanian. c. nemo. 6. de R. J. in 6. Dn. Richter Cent. Regul. reg. 4. ita etiam hæc omnia requiruntur in objecto obligationis sub infamia. Imo Proculus in l. nepos 125. de V. S. exp̄sē rejicit obligations ad facta, quæ salva dignitate prestari nequeunt. Quod Labeo in l. avus 79. §. pauc. 1. ff. de Jur. dot. explicat de factis prestationibus turpitudini & infamiae obnoxii. Conf. Goed. ad d. l. 125. de V. S. Unde est, quod non solum Colerus in Process. Execut. P. I. c. 8. num. 74. Hering. d. Fidejuss. cap. 19. n. 157. & post eos Dn. Stryk. de Caute. Contr. Sect. 2. c. 6. §. 17. obligationem sub infamia factam pro impletu impossibili ducant. At vero, licet certissimum sit, pacta turpia invalida planè esse, exinde tamen colligi statim non potest, quod sub hominum censum etiam hæc obligatio veniat, cum in Part. Generalatis demonstratum sit hanc obligationem nihil mali aut turpitudinis in se continere: Quæcumque enim ex jure infamam concessum fluunt, pro inhonestis reputanda non sunt. Præprimis, quia obligations adjectionem poenarum, inter quas etiam infamiam referri perquam notum est, non responunt. Vid. §. 7. Inst. de V. O. l. stipulatio 38. §. altera 17. ff. eod. tit. §. 18. Inst. de inut. stipulat. l. obligationum 44. in fine 0. & 1. Conf. Vinnius ad cit. §. 7. Inst. de V. O. add. §. 20. Inst. de inut. stipulat. & Meier c. Ltb. 9.

§. VI. Alter incedit Hering. d. l. qui allegat l. inter stipulantem 83. §. sacram. 5. ff. de V. O. ubi exp̄sē assertur, quod neque civile neque naturale sit casum adversarium que

que fortunam hominis liberi spectare, ac proinde concludit, quod nec civile sit quando quis se propriâ voce infamem redditurus sit. Sed loquitur allegat, textus de cā quæstione, an quis possit alterius famæ detrahere? quæ diver'a est à præsentि, quæ quæritur, an suam ipsius famam quis possit diminuere? Et supra jam cūm dominium infamam restrictum fuit ad famam propriam conf. Part. Gen. Sect. 1. §. 2. Imo Gothofr. ad c. l. Paulum intelligit de casu, quod expectatur mors alterius, & hanc in rem adducit l. si quis g. §. sed si l. ff. de liber. & posth. Sic etiam Gylmannus lib. 1. Decision. Cameral. 9. n. 30. ex hoc mediò termino turpitudinem obligationis sub infamia probatur est, quod sicut nemo se obligare posse ad mutilationem vel Amisionem alicuius membra per l. liber homo 15. pr. ff. ad l. Aquil. ita nec procedat obligatio bey Schelmschelten / cūm hominis vita & honor æquiparentur. Cui satisfactionem videtur supr. in Part. General. Sect. 1. §. 2. & Sect. 2. §. 2. ubi ostensum, quod vita & fama sint disparata, à quibus firmiter non infertur. Nec tandem obstat l. filius 15. de condit. Instit. ubi facta, quæ lœdunt existimationem pro moraliter impossibilibus habentur. Jam vero promissio cum affectione infamæ facta famam lœdit, E. inter illicita connumeranda videtur. Vid. Welmer. verb Behandlung. Verum non promissio, sed non servata fides famæ detrimentum affert, sicuti generaliter in omnibus pactis licet & sic famæ notam patiatur. Quemadmodum igitur alia pacta id propter non sunt rejicula, quod contravenientem in turpi facto constituant & sic apud bonos & graves viros eundem suspectum reddant, si non serventur, ita nec promissio sub infamia. Addit quod alias neq; indirecte sibi possit infamiam acce sere male agendo contra l. Decuriones 5. C. ex quib. caus. inf. irrog. Quicquid sit, & licet hac ita in Theor.

ricā veritate optime subsistant, contrarium tamen in praxi observatum fuit & in Camera Imperiali, in casu, da em Junggesell einer Jungfrauen die Ehre bey Schelm-schelten versprochen und nicht gehalten / adjectio infamiae pronon adiecta fuit habita, & sic effectus dasz der promittens darum seiner Ehre entsehet wurde / denegatus. Vid. Gylmann. l.c. n. 36. Quamvis in causa ejusdem vitoris Cicenensis, qui se in praesentia multorum bey Schelm-schelten obligaverat ad comparendum in judicio, nec tamen comparuerat anno 1682. d. 20. Junii tali obligationi non omnis effectus denegatus fuerit, dum à Pretura Provinciali toti vitorum officio notificata fuit. Imò expresse addebatur, und welcher massen derselbe seines ehrlichen Nahmens halber graviret und beschwehret sey. v. D. Abr. Bejerus in tract. d. conviciis opifcum part. 3. c. 5. §. 14.

## SECTIO III.

de

## CAVSIS OBLIGATIONIS SVB INFAMIA EXTERNIS.

## SUMMARIA.

(I.) *Obligatio sub infamia est juris naturalis negativæ.* (II.) *Causa finalis propria est ut promittens in casum non servati pacti maculam incurrat.*

§. I. Hactenus de causis obligationis sub infamia internis, seqvuntur externæ, *Efficiens & Finalis.* Omnis autem obligationis causa efficiens vel remota est vel propinqua. Remota est jus, illudque vel naturale vel civile. Frantz. Ex. 9. qu. 1. Tabor. Partition. Elementar. P. 3. Sect. 3. §. 14. Propinqua est convention super facto vel licto, vel illicito sive delicto. Magnif. Dn. Praes l.c. tb. 6. Locamer de caus. action. tb.

tb. 38. Giphani. *Antinom. Jur. Civil. lib. 3. disp. 24. tb. 6.* Meier c. l. tb. 6. Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 6. tb. 31.* Sed inquirendum erit, an etiam præsens obligatio oriatur ex iisdem causis. De proxima nullum est dubium, quia impossibile est, posita obligatione negari conventionem. Sed de remota maius superesse videtur dubium. Et quidem quod attinet jus naturale, illud velpositivè tale est, vel negativè. Negativè juris naturalis esse dicitur, quod eidem non repugnat, licet ab eodem non præcipiat Hug. Grot. de. J. B. & P. l. i. c. i. n. 9. Gv. Grot. de Princip. jur. nat. cap. 2. n. 1. Quamvis igitur obligatio sub infamia positivè non sit juris naturalis, non tamen illi repugnat, & sic negativè ei adscribitur. In jure civili quoad literam quidem non confirmatur hæc obligatio, ex trenta tamen ejusdem elici posse, dubium non patitur per supra dicta Sect. 2. §. 3. in fin. & §. 5. in fin.

§. II. Finali causam vel communem haber cum reliquis obligationum generibus, quòd pertinet datio rei §. 14. *Instit. de action. I. non videtur 167. de R. I. præstatio facti I. stipulationes 72. pr. de. V. O. Conf. Dn. Præses l.c. ob. 10.* Meier. c. l. tb. n. vel propriam & ab hac distinctam, ut scil. in casum non servati pacti, h.e. non præstitis neque datione nec facto promittens maculam incurrat ex opinione hominum, idque ideo, quòd promissis non steterit, cum tamen potuerit, nullo legitimo detentus impedimento. Quæ finalis causa tamen cum effectu primo concurrit. Vid. Dn. Stryk. de *Causel. Contr. Sect. 2. cap. 6. §. 17.* Hering. de *Fidejussion. cap. 19.* num. 158. Add. Besold. *Thesaur. Præst. verb. bey Schles-*  
*schenstein.* Et hæc etiam sufficient de obligatione sub infamia absolute & in se spectata, consideranda nunc respectivè idque in-

SE-

(22)

## SECTIONE IV. & VLTIMA

de

# EFFECTV & AFFINIBVS OBLIGATIONIS SVB INFAMIA.

### SVMMARIA.

(I.) *Obligatio sub infamia non equipollent juramento.* (II.) *Ad affinia pertinet (1) Obstagium.* (III.) (2) *Obligatio ad carceres.* (IV.) (3) *Pactum quo debitor in cau non facte solutionis se obligat ad operas.* (V.) *Ab harum obligationum natura planè recedit obligatio sub amissione certi alicujus membra.* (VI.) *Nec non obligatio sub amissione vite.*

§. I. Occurrit autem respectiva consideratio aut in Effectibus, aut in Affinibus. Effectus ad instar finis duplicitis sunt generis. Alii enim coincidunt cum effectibus reliquarum obligationum, alii separatae habent naturam. Illi in duas classes abeunt, actiones scilicet & exactiones *i. rem*. *i. §. cum autem 7. C. de rei ux. act. quæ vel statim fieri possunt, vel post tempus vel demum post impletam condicionem Dn. Praeses d.l.tb. n. Meier. c.l.tb. n. Frantzk. c.l.tb. 36. seq.* Diversum planè & peculiare effectum monstrat §. ult. *præced. Sect.* quanquam illum non observet aut amplectatur praxis Cameralis per dicta supra in *Part. Spec. Sect. 3. §. 6. in fin.* Rectè interea pernegrat Wehner verb. Behandlung/ quod obligatio bey Schelin-schelten juramento aequipolleat, & sic eundem cum eo effectum producat. Negatà enim formâ juramenti, negatur formatum, & sublatâ formâ tollitur effectus. Nec obstat, quod promissio bey Fürstlichen/ Gräfflichen oder Adelichen Ehren &c. juramento aequipolle-

pollere dicatur. Præterquam enim quod & hæc ipsa pro vero juramento habenda non sit propter deficiens esse entiale juramenti requisitum, ut videlicet fiat per rem sacram Frantz. *ad ff. de jurejurand. n. 26.* & saltim pro juramento habeatur quoad vim obligandi & remedia rescissoria removenda, illudque tunc demum, quando juramentum præcisè non exigitur. Carpzov. 2. c. 36. d. 9. Hahn. *ad ff. de jurejurand. n. 5.* Hillig. *ad Donell. lib. 24. cap. 13. p. 1222.* accedit iam, quod talis promissio similis sit obligationi sub infamia non tamen eadem. Quamvis, quod obiter notari potest, generali consuetudine Germaniae pralaudata promissio vim juramento-rum nostra sit, Gail. 2. *Obser. 59.* Bronch. *Miscell. 1. affert. 60.* Richter. *dec. 33. Mynsing. 1. Obj. 17.* sicuti etiam promissio per veritatem *bey der Wahrheit* juramento æquiparari solet teste Lynn. *ad Capit. Carol. V. art. 31. verb.* *Im Nahmen der Wahrheit.*

§. II. Inter Affinia nostra obligationis res fertur (1) *Obstagium*, Germanicè, die Leistung oder Verbindung zum Einlager quod est conventio quadam de sistendo & non recedendo ex certò loco, donec conventis satisfiat. Gastel. *Spec. Jur. Univ. c. 48. n. 16.* Tabor. *in addit. ad Meier. Coll. Arg. ad tit. ff. de re judicat. tb. 101.* Quæ conventio quidem in se nihil vitii continet, cum alias respectu Hollsatiae confirmari non potuisse per *Instrument. Pac. Ofsnab. a. 8.* §. *de indaganda in fin.* nec aliorum locorum statutis v. g. Lusatiae recipi, Gail. *de Arrest. cap. 9. n. 15.* Wehner verb. *Leistung*, add. *Reichs-Abschied zu Augspurg* de anno 1548. tit. *von wucherlichen Contracten.* L. R. *lib. 2. art. 11.* Imò Colerus c. 1. n. 19. à jure gentium hujus pacti iustitiam reperit arg. §. *servi Instit. de Jur. person.* Postmodum tamen, tum obstagia nihil aliud erant quam meræ helluationis teste Bebold. verb. *Leistung* / abrogata fuit ejusmodi conventio non

solum per LL. Imperii. Vid. Reform. Polit de anno 1577. tit.  
von wucherlichen Contracten §. wievhl auch. sed etiam  
Saxonicas vid. Carpzov. 2. c. 23. de. 30. fuit interdicta exceptis  
locis quibusdam, in quibus tamen adeo restricta est, ut mu-  
lier ita se obligare soleat, Imfall aber ich oder meine Mit-  
beschriebene faumig seyn würden/ wil ich nach der Gläu-  
biger Willen und Gefallen auf erfordern einen ehelichen  
firnehmen Mann gen N. zum Einleger schicken/ teste  
Hering. de Fidejussor. cap. 17. n. 76. Conf. Strauch. Diss. Justin.  
14. §. 16. ibique D. Thomas. Mindan. de Process. I. cap. 47. n. 16.  
Aliam obstagii formam afferit Colerus c. 1. n. 25.

§. III. Porro & (2) affinibus obligationis sub infamia ac-  
censetur obligatio ad carceres, quam de jure subsistere pro-  
bat Mynsing. Cent. 6. Obs. 51. Conf. Hering. c. l.c. 10. n. 163. &  
167. & citati ab Hilliger. lib. 27. c. 3. lit. GG. vid. l. Titius 9. ff. de  
serv. export. l. quod 3. § si cum 4. §. si quis s. ff. d. lib. bon. exhib.  
Gail. 2. obs. 45. n. 3. Nec obst. l. qui filios 6. C. que res pign.  
Nam vel exaudienda est de oppignoratione, que sit cum  
traditione possessionis, & carceris privati præ se fert speciem.  
Vid. Thomas. ad Strauch. c. 1. vel cum Brunnemann. ad  
eandem de oppignoratione liberorum hominum. Dissent.  
Rittershus. ad Nov. P. 3. c. 3. n. 21. De Jure Saxonica Elector.  
certum est, quod ejusmodi obligatio approbetur per. P. 2.  
conf. 21 ibique Carpz. d. 1. seqq. Et testatur Mevius ad Jus  
Lubecens. Lib. 1. tit. 3. art. 1. quod etiam statuta Lubecens.  
consentiant. Sicuti aliorum locorum statutis idem afferit  
Stryk. de Caute. Contract. Sect. 2. cap. 1. §. 39. modò tamen  
judicis autoritate, & primùm extrajudicaliter de solutione  
requisitus capiatur. Captura enim est species Jurisdictionis,  
& si à privatis fiat, tumultibus & rixis ansam præbet,  
præprimis, si creditor resistentem inveniat debitorem. Co-  
ler. d. l.c. 6. n. 10. seqq.

§. IV.

§. IV. Nec (3) hic omittendum pactum, quo debitor in causa non facte solutionis se obligat. ad operas tam diu praestandas, donec satisfiat creditoris cum & hoc inter inhonestata referri nequeat. Nam operari & liberalia servitia subiuste non est species servitutis, sed modus exsolvendi debiti. Accedit, quod debitor retineat libertatem & alias facultatem habeat operas suas aliis pro certa mercede locandi. E. etiam ipsis licebit creditori operas quasi in solutum addicere. Nec perfidia debitorum impunita esse debet. Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 2. num. 23. Mindan. lib. 2. de Mandat. §. 10. Hilliger. 27. cap. 3. lit. HH. Mey. ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 3. art. 1. num. 93. seqq. Quod etiam verum est in operis perpetuis, maximè si debitor pauper sit, nec unde solvat, aut alias vivat, habeat. Colerus de Process. Executiv. P. I. cap. 9. num. 24. seqq. Imò non solum in Hispania & Florentia, sed etiam in foro Saxonico extra provincias Electoris usu servatur traditio debitoris non solvendo existentis ad manus creditoris, wird der Schuldener dem Oldubiger an die Hand oder Halsster gegeben. Zanger. de Exception. P. 3. cap. 1. num. 142. Richt. decis. 41. num. 51. Carpz. P. 2. c. 22. d. 1. Hering. de Fidejussor. c. 6. n. 256.

§. V. Sed ab harum obligationum natura planè recedit obligatio sub aquisitione certi alicuius membra, cum nemo sit dominus membrorum suorum arg. 1. liber. homo. 13. ff. ad L. Aquil. can. si non sicut caus. 23. qu. 5. 1. stybus 16. de pecul. legat. Vasqu. illustr. Controvers. lib. 5. cap. 21. num. 6. Hering. de Fidejussor. cap. 20. §. 9. num. 40. Ziegel. ad Grot. 2. c. 21. §. II. Vnde etiam apud Gvidonem Papez quest. 278. decisum est, quod testi, qui juravit, se veritatem dicturum sub poena amissionis manus, non debeat ascindi manus. Imò in genere homo membrorum suorum non dominus, sed usuarius existit. Vid. Lessius de J. & J. L. 2. cap. 4. dubit. 10. Ex quo fluit,

• (26) •

quod nec valida sit obligatio ad torturam aut batinum Gal.  
de Pac. publ. lib. 2. cap. 2. num. 13. seqq. Mindan. l. 2. de Mandat. cap. 71. §. 11. Exceptio est & valet quandoque mutilatio  
membri sanitatis & curationis gratia. Molina de J. & J. Tom.  
4. Tract. 3. Diff. 1. n. 10.

§. VI. Multo minus obligatio sub amissione vita hic lo-  
cum invenit, cum nemo jus tale habeat in vitam, ut eam  
sibi ipse admere, aut admendam obligare possit. Nam nobis  
dominium non est, nisi in res tales, quas nostra industria no-  
bis asciiscere possumus, nec fundamentum omnium acciden-  
tium potest esse偶然ium; Jam vero vita est fundamen-  
tum omnis dominii humani. Imo ipsae Pandectæ S. omne  
homicidium dominant Exod. 20. v. 13. Actor. 16. v. 28. Surdus de  
Aliment. tit. 1. qu. 39. num. 1. Georg. Mundius à Rodachi. vo-  
lum. 2. consil. 20. per tot. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 21. §. 11.  
ibique Johannes à Felden Lesius cit. loc. Molina cit. loc. Nec  
obst. l. sed si 9. §. si ipse servus 7. ff. de pecul. Nam ibi voca-  
bulum naturaliter non denotat jus naturale, sed vires natu-  
rales, ita ut sensus sit, quod servus secundum facultates phy-  
sicas possit manus sibi admovere. Hahn. & Bachov. ad We-  
senb. tit. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Diss. Gudelin. de Jur. noviss.  
lib. 5. cap. 17. in fin. Conf. tamien Grot. de J. B. & P. 2. cap. 19.  
§. 5. n. 4. Et ita tandem divina feiente gratia pro ratione in-  
stituti, & prout ferebat ahematis praesentis rarioer tractatio &  
Commentariorum ejusdem penuria, theses non ad integrum  
tractatum, sed exercitium aliquod disputationum distinatas,  
absolvimus. Deo in unitate trino sit laus, honor  
& gloria sine

F I N E.

Poli-



*Politisimo*  
JOH. HENRICO HORNIO.

Jurium Cultori  
*S.*

PETRV S MÜLLERV S, JCTus.

\* \* \*

**A**mbrosiam studiorum qui semel degustavit  
Subactioris judicii palato, saturari nequit:  
sed ejus dulcedine quasi delinitus, curis  
omnibus aliis se submovet, solus in hac  
cura. Non satis esse sibi putat nosse verum, ac  
possidere doctrinæ supelle&tilem, sed ut acuat ani-  
mum, peccusque muniat, principio medium, &  
quo discrepat imum explicit, ut cuncta sint conso-  
na conformi cursu, sollicitus est. Sic Tibi, *politis-  
me Horni*, Castalidum chorus lēto modulamine  
gratatur legale hocce specimen dum discursu placi-  
do nōbile verum producis famamque cum gloria  
exdentis, multosque ad amorem Tibi largiter dan-  
dum obligas. Hicce labor sit Tibi felicissimus, inque  
Te sint omnia plena DEI. Te aliquando insigni pal-  
ma donet Adorea, in qua sit perpetuatus honos Pal-  
ladis. Vale.

D 3

*Accen-*

**A**ccensent famam veterum monumenta Deabus,  
Ac ejus nomen cultu veneranter adorant.  
Ipse sacer Codex famæ quoque jura tuetur,  
Ac instar vita curam commendat & urget.  
Succipiunt famæ causam sancta Qviritum,  
Restituunt lesam, firmant, servantque beatam,  
Hinc tua sunt, FAULTOR, cedro conamina digna,  
Qui docte, quæ sint famæ pia vincula, monstras.  
Perge bonam tibimet justè conquerire famam.  
Sic crescit virtus, nomen, sic erescis honore.

Sic nobilissimo Dn. Respondenti o. aedias  
vovet

### CORNELIUS TOBIAS HERDA, Isenac.

**A**lmæ dum Themidos concendis pulpita, FAULTOR,  
Gratulor ex animo prospera quæque precans.  
Sancta Trias faxit, posthac ænigmata solvas  
Legum, Te celebrem quælibet ora canant.  
Ut profis patriæ, fructus & commoda quæras,  
Ut quoque cognatis gaudia multa feras.  
Dives AMALTHEÆ CORNU Tibi prospera donet  
Ac Te fortunæ munera larga beent.

Ita gratiabatur Praclarè Docto  
Dn. Respondenti

**JOHANNES CASPARVS MÜLLERVS,**  
Meinungensis.

In

**I**N Studiis, *HORNI*, quantum profe-  
ceris, hocce


*Edocet ingenii nobilioris opus.*


*Macte Tuis ausis & quod doctrina pa-  
ravit*

*Continua crescat sorte perenne de-  
cus.*

*Animitus præcabatur*

**ADAMUS ADOLPHUS SCHRÖNIUS,**  
*Isenacensis.*









Jena, Diss; 1689 A-M


f

Sb.



V017







C. D. *G. a. m. 20.*

*DE*  
**OBLIGATIONE  
S V B I N F A M I A**  
*Bey Schelmschelten/*

in Incluta Academia Jenensi

Ejusdem

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,**

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

*DOMINO*

**OANNE GVILIELMO,**  
DVCE SAXONIÆ, JVLIÆ, CLIVLÆ ATQVE  
MONTIVM, ETC. ETC.

*P R A E S I D E*

**PETRO MÜLLERO, JCto,**  
Consiliario Saxonico, Pandect. Prof. Curiæ Pro-  
vincialis, Scabinat. & Facultatis Jurid.  
Assessore,

*In Auditorio JCtorum*

d. Julii 1689.

*disputabit*

**JOHANN. HENRICVS HORN/**  
Molaviæ-Osterlandus.

*J E N Æ,*

Typis PAULI EHRICII. 1705.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE